

de Reg. jur. in 6, quia hæc regula exceptionem patitur per dicta, c. fin. *Ne clerici, vel monach.*

96. *Principes ecclesiastici, et sæculares non incurrunt irregularitatem contra malefactores statuendo pœnam sanguinis.* — Pariter ab irregularitate immunes sunt principes et domini præfatam jurisdictionem habentes, tam clerici quam laici, si condant leges et statuta, per quæ pœna mortis, aut mutilationis transgressoribus imponitur, Suarez de *Censur.* disp. 47, sect. 1, n. 7. Avila loc. cit. dub. 5. Sylvester *¶ homicidium*, 3, q. 7, n. 40, dict. 9. Ratio est, quia tales leges directe, et per se non ordinantur ad homicidium, sed ad bonam gubernationem reipublicæ, et ut crimina evitentur. Accedit, quod tales generaliter tantum in malefactores, non vero in certam personam decernant pœnam sanguinis.

97. *Doctrina practica.* — Cæterum ex dictis colliges: male agere, et secuto effectu irregularitatem procul dubio incurrere principes, episcopos, et prælatos ecclesiasticos supra dictam jurisdictionem habentes, si dicunt (ut subinde a nonnullis audire est) volo ut hic suspendatur, ille capite plectatur, vel auris ei abscindatur, etc. vel, volo, ut diligenter de hoc, vel illo malefactore inquiratis, et deprehensum suspendatis: vel quamprimum hunc deprehenderitis, volo, ut suspendatur.

98. *Si effectus non sequitur, vel si pœna sanguinis in mitiorem mutatur, irregularitas non incurritur.* — Dicitur autem notanter secuto effectu; si enim hic non sequatur, id est, quandiu talis malefactor actualiter pœna mortis, vel mutilationis non afficitur, irregularitatem, ita mandans, et minans incurrit, per dicta n. supra n. 90. Ab eadem liber etiam est princeps tam clericus quam laicus, si pœnam mortis, aut mutilationis a iudice inferiori jam impositam mitigat, et adgratiando pœnam v. g. rotæ, aut patibuli in pœnam gladii mutat, dicendo: volo ut iste non rota, sed gladio occidatur. Engel h. t. n. 63. Ratio est, quia non est condemnatio ad mortem, sed potius actus misericordiæ, quo condemnatio ad mortem jam facta mitigatur.

99 et 100. *Et confessarii, et consilarii assessores suadentes in causa criminali quando immunes sint ab irregularitate, vel non?* — Resp. IV. Assessores quoque, et consilarii seu consultatores, qui vel iudici ad feren-

dam sententiam assistunt, vel suo suffragio, voto, aut consilio; auctoritate, publice ac iudice promovent, omnes sunt irregulares; Suarez de *Censur.* disp. 47, sect. 1, n. 4. Palao loc. cit. Tract. 29, disp. 6, pun. 14, § 3, n. 7, et alibi: Pirhing h. t. n. 96, per dicta supra a n. 75. Ratio est, quia omnes hi vere propinque ad pœnam sanguinis concurrunt.

Dicitur autem notanter, auctoritate publica ad id constitui, seu iudice; quia aliud est de illis, qui sive clerici, sive laici, v. g. theologi, canonistæ, jurisperiti, confessarii a iudice vel aliis privatim interrogantur; et quidem hos ab irregularitate immunes esse, si tantum in genere respondeant, et explicent quid juris sit, et quid de huiusmodi malefactoribus iura statuant nisi suadendo circa reum in particulari, docet Glossa communiter recepta in c. ex litteris 10, de Excess. Prælat. *¶ Consuluit.* et *¶ diximus*, et probavimus Lib. III. Tit. fin. n. 13.

101. *Confessarii, et theologi interrogati possunt dicere, quid de malefactoribus statuunt iura, etiam de occidendo etc.* Sed controversia est, num taliter interrogati possint absque nota irregularitatis circa reum in particulari respondere, dicendo v. g. spectando iura iste reus suspendendus, vel gladio perimendus, aut comburendus; vel, ego opinor, hunc vi legum esse capite plectendum: Non enim desunt negativam tenentes: contra quos tamen satis probabiliter docent Palao cit. tract. 29, disp. 6, pun. 14, § 2, numer. 7, citans Hurtado de irregular. difficult. 11, numer. 40, et alii, etiam tales irregularitati non subjacere, arg. can. *Pessimum*, 32, cau. 33, q. ult. in fine. Rationem dant; quia tales non contrahunt irregularitatem ex delicto; cum non peccent: nec ex defectu lenitatis; quia in plectendis malefactoribus illi tantum irregularitatem contrahunt, qui auctoritate publica ad causam sanguinis concurrunt. Accedit, verisimile non esse, Ecclesiam mediante irregularitate voluisse impedire, ne confessarii, theologi, jurisperiti suo munere et scientia salubriter fungi, aut id, ad quod iure divine dicendum tenentur, dicere possint.

102. *Imo hoc consulere, et ut confessarii mandare possunt.* — Confirmatur. Ex rationibus num. præc. adductis: Communiter docent auctores, ut Layman lib. III, tr. p. 2, cap. VII, n. 4. Suarez de *Censur.* disp. 47,

sect. 1, n. 8. Molina Tr. 3, disp. 8, n. 8. Avila de *Censur.* disp. 5, sect. 2, dub. 7. Palao loc. cit. n. 8. Bonacina disp. 7, q. 4, p. 1, n. 32. Pirhing h. t. n. 98, ad finem, et alii, confessarium, penitus nullam incurrere irregularitatem, si absolutionem sacramentalem neget iudici non volenti reum condemnare ad mortem, ad quod ex officio tenetur: vel si hortetur, cogat, aut obliget reum ad fatendum in iudicio crimen, si legitime interrogetur; hoc ipso, quod confessarius præsertim interrogatus ad ita consulendum, et cogendum ex officio, indeque iure divino teneatur consequenter verisimile non sit, velle Ecclesiam per irregularitatem impedire, quo minus isti muneri suo satisfaciant. Ergo etiam jurisperiti, theologi, confessarii privatim positive interrogati, quid de iure faciendum cum reo, possunt dicere qualiter de iure puniendus veniat, cum responsum huiusmodi munus status et officii exigat.

103. *Advocati, et testes in causa criminali irregulares sunt.* — Resp. V. Irregulares insuper sunt advocati, et testes contra reum in causa criminali pœnam sanguinis inducente. Palao tract. 29, disp. 6, pun. 3, per totum, ubi n. 5, de advocatis esse omnium sententiam asserit, arg. can. *Aliquantos*, dist. 51. De testibus vero est communis ac certa sententia apud eundem; quam in specie etiam Covarruvias in Clem. *si furiosus*, p. 2, § 5, n. 5. Molina tr. 3, disp. 47, n. 10. Suarez de *Censuris*, disp. 47, sect. 3, in fine. Layman lib. III, tr. 3, p. 3, cap. VII, n. 5, et alii passim, arg. can. *Aliquantos*, dist. 51, can. *His, a quibus*, 30, cau. 23, q. 8, c. *Sententiam*, 9. *Ne clerici, vel monach.* Ratio est, quia et hi ad mortem vere concurrunt.

104. *Non obstante provocatione.* — Nec excusat eos ab irregularitate, si protestentur contra pœnam sanguinis: eo quod, uti bene advertant doctores nu. præc. citati, protestatio illos solos ab irregularitate liberat, qui in iudicio sanguinis causam propriam, non qui alienam prosequuntur.

105. *Excipiuntur tamen advocati, et testes laici ad id coacti.* — Limitat tamen conclusionem et præcedentem doctrinam Palao loc. cit. n. 3, cum aliis ibidem citatis, in testibus, qui citati venire recusantes coguntur, et compelluntur a iudice ad testificandum (quod in nonnullis casibus, non item ordinarie, facere potest iudex per dicta Lib. II. Tit. XXI, a num. 18.) talem enim,

sicut et advocatum, si non libere sed coacte contra reum causam assumere debet, immunem ab irregularitate probabiliter censeat; cum verisimile non sit, tales fieri irregulares ex eo, quod coacti facere debent. Nec tamen exinde similiter argumentandum de iudice et aliis officialibus iustitiæ, quia voluntarie officium assumpserunt, licet postea assumptum necessario administrent, et ad mortem rei concurrant.

106. *Clerici testimonium ferentes in causa criminali contra reum coram iudice laico non tantum irregulares sunt, sed etiam peccant.* — Porro clerici, si in causa criminali coram iudice laico contra malefactorem agerent testes, non tantum irregulares fierent, sed etiam peccarent, eo quod eis in causa criminali coram iudice laico testimonium contra reum ferre, absolute sit prohibitum, prout amplius dictum est lib. III, tit. XX, a n. 168. Quare etiam ad huiusmodi testimonium coram laico iudice ferendum nunquam cogi possunt.

107. *Notarii quoque, tabelliones, scribæ, qui scribunt, dictant, vel authenticam reddunt sententiam sanguinis; item omnes ministri iustitiæ ad executionem concurrentes, custodes rei auctoritate publica deputati, etc., irregulares sunt effectu secuto.* — Resp. VI. Notarii quoque, tabelliones, scribæ, et alii, qui dictant, vel scribunt sententiam sanguinis; et qui ab alio scriptam signant, suoque sigillo authenticam faciunt; item qui eam legunt, et publicant; item qui torquent reum ad fatendum crimen; et multo magis ipsi executores sententiæ et iustitiæ ministri, veluti carnifices, lictores, satellites, qui custodiæ causa comitantur reum ad supplicium, sive pedestres, sive equestres, hi omnes, inquam morte, vel mutilatione secuta sunt irregulares. Navarrus, *Man.* cap. XXVII, n. 217. Covarruvias in Clem. *si furiosus*, p. 2, § 5, a n. 1. Sylvester *¶ homicidium*, 3, p. 2, n. 3, dicto. 2. Suarez de *Censuris*, disp. 47, sect. 4, n. Avila de *Censuris*, disp. 5, sect. 2, dub. 4. Layman, lib. III, tr. 3, p. 3, cap. VII, n. 4. Pirhing h. t. n. 96. Abbas, et doctores in c. *sententiam Ne clerici vel monach.* arg. can. 1, dist. 51, can. *his, a quibus*, 30, cau. 23, q. 8. Ratio est, quia hi omnes propinque, et notabiliter concurrunt; ergo.

108 et 109. *Non item, qui privata auctoritate, et remote tantum concurrunt, uti sunt opifices conficientes furcam, funem, gladium,*

scalam, etc. — Resp. VII illi, qui nulla auctoritate publica, sed privata duntaxat, non propinque et notabiliter, sed valde remote et per accidens concurrunt ad pœnam sanguinis, irregularitatem non contrahunt. Layman loc. cit. n. 2. Pirhing h. t. num. 87. Palao, tract. 29. Disp. 6, pun. 14, § 4. Glossa in c. de cœtero. 11. § Causam. h. t. et doctores communiter, in c. tua nos. h. t.

Infertur, non esse irregulares opifices, qui conficiunt funes, furcam, scalam ad illam, gladium, quo reus occiditur; Layman loc. cit. cap. VII, n. 2. Molina de I, et I. tract. 3, disp. 74, n. 2. Qui tamen putant eos irregulares esse, qui funem ad suspendendum, vel ligna ad comburendum asportant, eo quod, etsi hi forsitan etiam privata duntaxat auctoritate, tamen valde propinque concurrant.

110. *Confessarii, et alii privati, qui reum monent, ut in via procedat, scalam ascendat, manus ligandas præbeat, ministro justitiæ se accomodet, equum, ut citius pergat, pungunt, etc. non sunt irregulares.* — Infertur ulterius, irregulares non esse illos privatos, vel etiam confessarios, qui equum, cui reus insidet, pungunt, aut incitant ad citius vadendum; vel qui reum monent, ut in via procedat, ut scalam ascendat, manus ligandas præbeat, caput stipiti admoveat, ministro justitiæ se accomodet, etc. Palao, loc. cit.; Layman, cit. lib. III, tr. III, p. 3, cap. VI, n. 2; Molina, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Scotus, lib. V, de Justit. q. 1, a. 9, § His præhabitis. Ratio est, tum quia hæc levia sunt, indeque quasi pro nihilo reputantur; tum quia verisimile non est, Ecclesiam in hujusmodi casibus velle irregularitatem inducere, cum videretur irrationabile, ut bene advertunt doctores citati, qui ob dictas rationes etiam confessarium rei ab irregularitate excusant, qui simile quid facit.

111. *Doctrina practica, quid faciendum in his casibus, et quid faciendum confessario assistenti reis?* — Quo non obstante pro majori cautela merito monet Suarez, de Censuris, disp. 47, sect. 4, n. 10. Clericos, et religiosos reo, in ultimo supplicio pro cura animæ assistentes, ut caveant, ne verò aut facto aliquo accelerent, aut promoveant mortem, aut mutilationem illius. Et certe in specie cavendum, ne urgeant, aut moneant ministros justitiæ, ut brevi veniant, aliquando incipiant, citius incedant, vel se expediant, et præstent ex causa, quod reus jam sit

dispositus; imo, quando ipsi ministri justitiæ, an reus jam sit dispositus, forsitan ignari, ex confessario interrogent, an ad locum supplicii procedere, aut exequi possint, aut debeant, rectius agit confessarius, si ad similes interrogationes non directe affirmando, sed indirecte respondeat, dicendo, hoc nil ad me, vos sciveritis, quid vobis agendum, nos sumus ad omnem obedientiam parati ac dispositi, etc. Quamvis ab irregularitate, et a culpa immunis esset confessarius; si directe affirmando responderet, ita jam posse eos procedere, etc. Atque hæc sunt satis certa.

112. *Spectatores etiam clericos ultimi supplicii irregulares non esse.* — At controversia aliqua est, de spectatoribus ultimi supplicii, num illi sint irregulares necne, hos enim, saltem si clerici sunt, irregularitatem incurere, volunt aliqui, pauci tamen doctores, arg. c. Sententiam, 9, Ne clerici, vel monachi, ibi: «Aut ubi exerceatur, intersit.» E contra Gonzalez, ad cit. c. Sententiam, n. 1; Palao, tract. XXIX, disp. 6, pun. 14, § 4, n. 2; Layman, lib. III, tr. III, cap. VII, n. 2; Navarrus, cap. XXVII, n. 114, cum communiori aliorum recte docent, nullum sive clericum, sive laicum spectatorem ultimi supplicii fieri irregularem; quia cit. c. Sententiam, 9, Ne clerici, vel monach. (ut bene ad illud notat Gonzalez, n. 1) intelligendum est, de auctoritativa præsentia executioni sententiæ aliquo modo cooperante.

113. *Nec spectando graviter peccare.* — Ut quamvis nonnulli velint, clericos, si ultimi supplicii spectatores agant, peccare, cum id saltem prohibitum videatur cit. c. Sententiam, id tamen culpam venialem non excedere, etiamsi ex sola curiositate fiat, cum aliis bene docet Suarez, de Censuris, disp. 47, sect. 4, in fine; Castro Palao, loc. cit.

114. *Imo nec venialiter, si ex causa rationabili, et cum debita cautela spectatores agunt, probabile est.* — Imo non desunt, inter quos etiam videtur Layman, loc. cit. qui docent, quod etsi non deceat clericos in majoribus constitutos, inter turbam reliquam spectare ultimum supplicium, ne curiositatis vitio notentur, tamen nec venialiter peccent, si ex causa rationabili, v. g. ut aliquid addiscant a sacerdotibus reo pro cura animæ existentibus, aut pro ædificatione propria, vel consolatione rei; præsertim si ita se collocent, ut non multum notentur a turba: vel si a longe ex domo prospiciant. Ratio

est, quia si, ut cum aliis vult Gonzalez, cit. c. Sententiam, 9, Ne clerici vel monachi. intelligendum duntaxat venit, de auctoritativa præsentia, aliud jus privatam clerici præsentiam prohibens allegari nequit. Accedit, quod si aliquid adesset, ei per consuetudinem abrogatum esse, putet Palao, loc. cit.

115. *Si in bello patenter injusto vel unum tantum occidatur, omnes totius exercitus sunt irregulares.* — Quæritur IV. An, et quando ob homicidium vel mutilationem in bello commissam contrahatur irregularitas? Ante responsionem nota, aliter discurrendum esse de bello injusto, aliter de justo, aliter de offensivo, aliter de defensivo. Pro majori claritate de singulis speciales ponemus conclusiones. Itaque resp. I. Si in bello patenter injusto, sive defensivo, sive offensivo vel unus occidatur, omnes tam laici, quam clerici in tali bello pugnantes, vel cooperantes ad illud, et quaecunque auxilium ferentes, sunt irregulares, etiam illi, qui propriis manibus nullum occiderunt, aut mutilaverunt. Covarruvias, in Clem. un. h. t. p. 2, § 3, n. 2, in fine; Sylvester, § Homicidium, 3, q. 6, dicto 1; Navarrus, cap. XXVII, n. 216 et 224; Suarez, de Censur. disp. 47, sect. 5, n. 4; Layman, lib. III, tr. III, p. 3, cap. VIII, n. 2; Pirhing, h. t. n. 114; Castro Palao, tract. XXXIX, disp. 6, pun. 14, § 5, n. 1, cum communi aliorum arg. c. Sicut dignum, 6, § fin. h. t. c. Quod in dubiis, 5, de Pœnis, et ibi Glossa, § Incitant. Ratio est, quia quodocunque plures communi auxilio, vel consilio ad homicidium concurrunt, censentur omnes una causa morali; prout in simili jam diximus supra de homicidio injusto extra bellum a n. 35.

116. *Exceptis illis, qui præcise spiritualiter assistunt.* — Excipiuntur tamen illi, qui in tali bello assistunt militibus non ad hortandum in bello, sed ad adjuvandos illos in spiritualibus. Pirhing, loc. cit. et alii.

117. *In bello justo offensivo omnes et soli sunt irregulares, qui proprio facto aliquem occiderunt.* — Resp. II. Quicumque in bello etiam justo, sed offensivo, seu aggressivo, aliquem per se, seu proprio facto occidit, vel mutilat, irregularis est. Abbas, in c. Petitio, 24, h. t. n. 4, et Layman, loc. cit.; Palao, loc. cit. n. 4, iisque testibus omnes, arg. c. Petitio, 24, h. t. item can. Si quis, 4, dist. 51, sola tamen vulneratio non sufficit

ad inducendam irregularitatem, arg. cit. c. Petitio, h. t. ibi: «Pro eo, quod aliquos percussisti:» et ratio est, quia ob vulnerationem in jure irregularitas statuta non reperitur; consequenter non contrahitur, arg. c. Is qui, 18, de Sentent. excomm. in 6.

118. *Non vero illi, qui, moraliter certi sunt, a se nullum esse occisum. Sola vulneratio non inducit irregularitatem.* — Dicitur notanter proprio facto, quia etsi plurimi in bello etiam offensivo justo ab aliis occidantur, tamen ab irregularitate immunes sunt tam clerici, quam laici, qui moraliter, aut certe sufficienter certi sunt, per se, aut suis armis, vel manibus nullum fuisse occisum, aut mutilatum, licet unum, aut plures percusserint, vel vulneraverint non lethaliter. Suarez, de Censur. disp. 47, sect. 6, n. 5; Panormit. in c. Placuit, et fin. de Clerico percuss.; Navarrus, c. 27, n. 215, Covarruvias, in Clem. Si furiosus, p. 2, § 3, n. 2; Molina, tr. II, disp. 110, conclus. 2; Palao, tr. XXIX, disp. 6, pun. 14, § 5, n. 2; Layman, lib. III, tr. III, cap. VIII, n. 2; Pirhing, h. t. n. 117, cum communi, argumentum a contrario sumentes ex c. Petitio, 24, h. t. ubi sacerdoti pugnanti in bello, in quo in persona ipse aliquos percussit, vel vulneravit, et ab aliis multi fuere occisi, mandatur ob irregularitatem abstinere a celebratione tunc solummodo, quando remorsum conscientia habeat, quod ab eo revera aliquis fuerit occisus; ergo a sensu contrario, quando ei sufficienter constat, a se nullum esse occisum, aut mutilatum, abstinere non debet. Ratio est, tum quia ob solam adhortationem ad pugnandum in justo bello, vel ob pugnam in eodem sine homicidio, aut mutilatione nulla in jure invenitur statuta irregularitas, consequenter nec nos tam adstruere debemus; cum irregularitas aliqua non contrahatur, quæ in jure non reperitur expressa, c. Is qui, 18, de Sentent. excomm. in 6. Tum qui alias multi involverentur a pugna etiam in justo bello.

119 et 120. *Solvuntur objectiones.* — Nec valet objicere, quod c. Petitio, h. t. ex quo præcedens doctrina præcipue probatur, non loquatur de offensivo, sed defensivo bello justo; nam contra est, quod etsi hoc bellum ab initio fuerit defensivum, tamen postea transit in offensivum, ex parte fidelium, utpote exeuntes e castro persecuti sunt hostes, ut post Suarez, disp. 47, sect. 6, n. 5; bene advertit Pirhing, h. t. n. 117. Accedit,

præfatam doctrinam non solum ex cit. c. *Petitio*, sed etiam ex ratione juris apposita sufficienter probari.

Pariter non obstant, quæ ab adversariis obijciuntur c. *Sicut*, 6, § fin. h. t. et c. *Quod in dubiis*, 5, de *Pœnis*, ubi etiam non occidentes, sed hortantes præcise, et juvantes in bello, præsertim clerici videntur irregularitati subjacere. Respondetur enim, utrumque capitulum loqui de bello injusto, uti patet ex textu prioris capituli, et de posteriori bene ostendit Glossa, *Incitant*, ibid.

121. *Etiam clerici in bello justo pugnantes, immunes sunt ab irregularitate, si proprio facto a se nullum occisum esse certi sunt.* — Dices, clericis absolute prohibitum est, manu propria in bello offensivo pugnare, uti teste Palao, tract. XXIX, disp. 6, pun. 15, § 5, n. 3, tradunt fere omnes doctores cum Glossa, in c. *Petitio*, 24, h. t. *Remordet*, arg. can. *Clerici*, 5, can. *Quicumque*, 6, can. 23, q. 8, can. *Clericum qui*, 5, can. *de His clericis*, 36, dist. 50, juncto c. *Ex multo*, 9, ad finem, de *Voto*; ergo saltem clerici sunt irregulares, qui propriis manibus pugnant in bello offensivo justo, ubi aliquis habetur occisus. Resp. concesso anteced. negando consequ., quia ex eo, quod clerici prohibeantur propria manu pugnare in bello justo, non bene contra illos infertur irregularitas, utpote quæ non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Is qui*, 18, de *Sentent. excomm.* in 6.

122. *In dubio autem, num a se aliquis in bello sit occisus, pro irregulari se habere debet, tam laicus, quam clericus.* — Illud tamen notandum, quod si quis sive clericus, sive laicus rationabiliter dubitet, an non proprio facto aliquem in bello offensivo justo occiderit, aut mutilaverit, pro irregulari se habere debeat, arg. c. *Petitio*, 24, h. t. ibi: « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam celebrare: » si vero dubium rationabile non est, sed leve, vel potius scrupulus, videtur melior esse conditio possidentis jus accipiendi, vel administrandi ordines. Engel, h. t. n. 58.

123 et 124. *In bello justo defensivo ab irregularitate immunes sunt tam clerici, quam laici, qui pro defensione propriæ personæ, vel Ecclesiæ aut patriæ proprio facto aliquem occidunt.* — Resp. III. Quantum ad bellum defensivum justum: imprimis certum est, tam clericum quam laicum ab irregularitate immunem esse, qui etiam propria manu ali-

quem occidit, vel mutilat ad defensionem propriæ suæ personæ, prout facile contingere potest capellanis castrensibus, qui exhortandi, vel spiritualiter assistendi causa præsentibus, ab uno, vel pluribus inimicis ita angustiantur, ut nisi occidant, ipsi in periculo vitæ sint. Suarez, de *Censur.* disp. 47, sect. 5, n. 1; Palao, tr. XXIX, disp. 6, pun. 14, § 5, n. 4; Pirhing, h. t. n. 115, cum communi, arg. c. 2, de *Immunitat. ecclesiast.* Ratio est, quia hoc absque irregularitate fieri potest in rixa privata per dicta supra; arg. Clem. *Si furiosus*, h. t. ergo multo magis in publico justo bello defensivo.

Pariter ab irregularitate immunes sunt tam clerici, quam laici, qui in bello defensivo justo necessario pugnantes, ad defensionem Ecclesiæ, vel patriæ aliquem etiam propria manu occidunt, vel mutilant. Suarez, loc. cit.; Palao, loc. cit.; Coninch, disp. 18, dub. 10, n. 96; Abbas, in c. penult. h. t. n. 2, et ibi Barbosa, n. 2; Molina, de *Justit.* tr. II, disp. 118; Pirhing, h. t. n. 115, cum communi, arg. cit. c. 2, de *Immunitat. ecclesiast.* Ratio est, quia defensio Ecclesiæ, et patriæ non minus, sed magis favorabilis est, quam propriæ, vel alterius vitæ privatæ, l. *Utilitas*, 3, c. de *Præmissis*; ergo si ob hanc, multo magis ob illius necessariam defensionem absque irregularitate licet occidere, et mutilare.

125. *Si necessario in tali bello pugnant.* — Dicitur autem notanter necessario pugnantes; quia si clericus ad pugnandum necessarius non est, ut in casu, quod sufficientes ad pugnandam, et defendendam Ecclesiam, vel patriam adsunt laici, utique irregularis fieret, si propria manu etiam sub prætextu defendendi Ecclesiam, aut patriam, aliquem occideret, vel mutilaret, Layman, lib. III, tr. III, p. 3, cap. ix, n. 2; Abbas, in c. *Petitio*, h. t.; Sylvester, *Homicidium*, § q. 6; Pirhing, h. t. n. 115, arg. cit. c. *Petitio*, 24, h. t.

126. *Secus est de illis, qui, aliis militibus ad bellandum sufficienter existentibus, sponte et non necessario nomen militiæ dant, vel ibi pugnant, et occidunt, præsertim clerici. Et num. præced.* — Imo Engel, h. t. n. 58, universaliter et indistincte de cunctis, etiam laicis docere videtur, quod omnes, qui in aliquo bello quocumque tandem justo, v. g. ad defendendam Ecclesiam, vel patriam vigente, non necessario vel coacte, sed libere

pugnantes aliquem occidunt, vel mutilant, irregulares evadant, arg. Clem. un. h. t. ubi illi duntaxat occidentes, vel mutilantes ab irregularitate excusantur, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt, quod non verificatur in illis, qui ad defendendam Ecclesiam, vel patriam sufficienter existentibus aliis militibus, non necessario, sed libere et sponte, ac gratis seu pro stipendio pugnant, aut nomen militiæ dant, sicque occidunt, vel mutilant. Idque confirmari potest a pari in publicis ministris justitiæ, utpote qui licet pro conservando bono publico patriæ malefactores occidunt; tamen irregulares fiunt ex eo, quod officium hujusmodi libere assumpserint, per dicta supra n. 105.

127. *Quamvis etiam hos saltem laicos ab irregularitate excusent aliqui.* — Secus foret, et ab irregularitate immunes laici essent, qui pro defendenda Ecclesia, vel patria necessario pugnantes, utpote ad id auctoritate publica adacti, vel in tali bello nomen militiæ ideo dantes, aut pugnantes, quia vident, non adesse sufficientes milites, vel alios ad resistendum hosti, et defendendam Ecclesiam. Imo plures doctores, uti videre est apud Layman, loc. cit. absolute volunt, omnes laicos etiam libere pugnantes in bello defensivo justo ad defensionem Ecclesiæ, vel patriæ ab irregularitate excusari; non item clericos, quia hos absque necessitate, propria manu pugnare non convenit.

128 et 129. *Doctrina practica pro favore illorum, qui sunt vel fuerunt milites, in causa irregularitatis.* — Cæterum ex hactenus dictis n. 115, colligitur, non esse bonam consequentiam; iste est, vel fuit miles; ergo est irregularis; vel ergo non potest ordinari; vel si jam ordinatus est, non potest celebrare. Nam debet examinari, an etiam et in quali bello, justo vel injusto, offensivo, vel defensivo pugnaverit? an, et quomodo occiderit aliquem, vel mutilaverit? Si enim sit simpliciter miles, qui semper in præsentibus existens, aut alias nunquam in bello pugnavit, nec aliquem occidit, vel mutilavit, mentiquam irregularis est, cum nullo jure inveniatur statuta aliqua irregularitas aliquem, quod sit, vel fuerit miles.

Pariter irregularis non est, si in castris quidem, et in conflictu, ita tamen collocatus fuit, ut sclopetum, vel sagittam in hostem nunquam emisit, vel gladium, aut aliud armorum genus contra aliquem adhi-

bendi, eumque occidendi, vel mutilandi nullam occasionem habuerit

§ IV.

DE HOMICIDIO, ET MUTILATIONE OB NECESSARIAM SUI DEFENSIONEM FACTA: ET IRREGULARITATE INDE SECUTA.

130. *Ob defensionem propriæ vitæ et membrorum licitum est occidere injustum aggressorem.* — Quæritur I. An, et quomodo liceat occidere aliquem ob defensionem vitæ, et membrorum? Resp. I. Cuius licitum est, pro necessaria defensione propriæ vitæ, et corporis, servato moderamine inculpatae tutelæ injustum aggressorem occidere. Unanimis, et certa. Ratio est, quia jure naturali, divino, et humano permissum est, injustam vim vi repellere, textu expresso c. *Significasti*, 18, § fin. h. t. cum concordantiis, ibi: Vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt.

131. *Servato moderamine inculpatae tutelæ.* — Dicitur autem notanter, servato moderamine inculpatae tutelæ; quia hoc nisi servetur, homicidium etiam ob sui defensionem factum, illicitum, esse, rursus omnes fatentur, arg. c. *Significasti*, 18, h. t. ibi: Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Censetur autem tunc adhiberi moderamen inculpatae tutelæ, quando quis occidit solum, quia revera in conscientia, sine fraude et dolo putat se non posse evadere, sed periclitari in vita et corpore, nisi occidat injustum invasorem, prout jam diximus in Theologia nostra Moral. tract. 9, dist. 2, q. 2, n. 17.

132. *Ad quod servandum requiruntur tria: I. Videlicet injusta aggressio ab altero facta.* — Porro ad dignoscendum moderamen inculpatae tutelæ, Clarus § *Homicidium*, n. 34, tria requirit, quod idem in re exigunt alii doctores, videlicet I. Causam II. Modum III. Tempus. Primo itaque requiritur, ut occasionem præcedat causa, injusta nempe invasio; quia si quis ante hanc occidit, jam non sui defensio, sed alterius aggressio erit: sufficit tamen certo prævisa; quia non est necesse expectare, sed licet prævenire injuste aggredi volentem; præsertim si quis merito timet, quod, nisi præveniat, adversario, mox vel certe aggressuro sufficienter resistere non possit; quia in tali casu præ-